ANTIQVISSIMAE CELEBERRIMÆQVE ACADEMIÆ ANDREANÆ XAPIΣTHPIA.

IN ADVENTVM AVGVSTISSIMI SERENISSIMIQVE IACOBI PRIMI Magnæ Britanniæ, Franciæ & Hiberniæ *Monarchæ, Fidei defensoris, &c.*



EDINBURGI,
Excudebat ANDREAS HART. ANNO DOM. 1617.

ANTIQVISSIMAE CELEBERRIMÆQVE ACADEMIÆ ANDREANÆ XAPIΣTHPIA.

IN ADVENTVM AVGVSTISSIMI SERENISSIMIQVE IACOBI PRIMI Magnæ Britanniæ, Franciæ & Hiberniæ *Monarchæ, Fidei defensoris, &c.*

EDINBURGI,
Excudebat ANDREAS HART. ANNO DOM. 1617.

MVSEVM
BRITAN
NICVM

ACADEMIAE ANDRÆANÆ, AB IACOBO PRIMO CONSTITVTÆ, DE SVIS NATALIBVS gloriatio.

GLoria, Bacche, femur Iovis est tua, Palla, cerebrum:
Sed PRIMI pectus gloria magna mea est.
Me non erubuit natam, sed sustulit vlnis,
Seque oblectabat garrulitate mea.
Sæpe mihi dixit, per te mihi spero nepotes;
Sæpe etiam per te nata, perennis ero.
Ergo habeant divosque alii, divasque parentes,
Dummodo dive mihi sis IACOBE parens.

P. BRVSIVS RECTOR.

EIVSDEM AD REGEM.

DAnt tibi, Rex, alii gemmisque, auroque superba
Munera, quæ tellus oceanusque ferunt:

Dant alii fidoſque canes, rapidoſque veredos
Deliciis propriè munera nata tuis.
Donat quiſque tibi, vel quæ gratiſſima credit,
Vel quæ ſunt rebus commodiora ſuis,
At tibi cognato quæ juncta eſt ſanguine cultrix
Muſarum PRIMO de genitore ſata,
Nec te, nec tantis dignum natalibus vllum
Sinceri teſtem munus amoris habet,
Sed dare nil non fas: ergo de paupere cenſu
Rex bone, quæ donat, carmina pauca cape:
Quæ tu ſi placido non dedignabere vultu,
Cræſo erit ipſa ſibi ditior atque Mida.

GAudebant *Thameſis*, *Sabrina*, & *Dunus*, & *Humber*.
Dum Sacro vultu contigit vſque frui.
Fortha at Scotigenas inter celeberrimus Amnes
Et *Taüs* vberibus ora rigantur aquis.
Iam Dominum cernunt reducem, Lætique ſalutant:
Qui laqueata rudi pumice tecta colunt.
At fluvii *Thameſis*, *Sabrina*, & *Dunus*, & *Humber*
Angligenæ verſa, flentque gemuntque vice.
Nam quocunque gradum confers, Rex Optime, cuncta
Læta facis: ſed te mox abeunte dolent.
Solus enim Terræ tu Sol, & Luna Britannæ,
Alternans radiis tempus vtrumque tuis.
Te veniente venit Lux alma, æſtaſque Benigna,
Lux alma atque æſtas, te fugiente fugit.

Tueda inter Boream cum ſit porrectus & auſtrum,
Cur æquos Scotis non facit ille Dies?
Iam bis-ſeptenis annis te Sole fruuntur
Angli, vix totidem Scotia ſeptiduis.
Sed mora geſtarum penſatur pondere rerum,
Cur ergo invideat Scotia Saxonibus?
Gnata tua imprimis Languens Academia, longam
Poſt noctem, lætum ſentit adeſſe Diem.

IACOBVS BLARIVS. S.S. T.D.

ERgóne Rex IACOBVS adeſt? humileſque penates
Muſarum ingreditur, quem totus vix capit orbis?
Ergóne eum ſpectare licet, coramque tueri,
Ipſe ſuo regno qui regum eſt celſior vnus?
Ergóne fas notas audire & reddere voces,
Auribus ac illi arrectis aſtare loquenti?
Qui poſtquam terris datus eſt, ſapientia vera
Cœpit privatum ſeſe decus eſſe negare?
Ergóne deliciis noſtris capietur & ille,
Quem capere haud potuit vis auri inſana, Arabumque
Divitiæ, ſceptra & ſceptris ſuperaddita avitis?
Deſinite ô tandem veſtrâ de ſorte Camœnæ
Scotigenæ querulas ad ſidera tollere voces.
Sat ſit, fat vobis, illo quod Apolline & olim,
Iamque frui licitum, cujus vidiſſe coruſcos
Bis radios, mater CANTABRIGIA alma triumphat,
Oxonium vidiſſe *ſemel* lætatur ovatque.

IACOBVS WEDDERBVRNVS. S.S. T.B.

De Bibliotheca à Sereniſſ. Rege IACOBO ANDRÆAPOLI *erecta variiſque ſelectiſſimorum authorum monumentis locupletata.*

NOBILITATA fuit quondam Pharos inſula, vaſto
Circumſcripta mari, priſcum ſed pontus, & æſtus,
Mutavere ſitum, ſaxis fundata cavatis,
Turris, vbi celſas æquabat culmine nubes,
Fulgebant illic rutilantis ſideris inſtar
Lumina noctivagis procul aſpicienda carinis,
Sed non hic dubiis nautarum curſibus ignis
Gratior, in ſævo direxit linteа ponto,
Quam quæ conſpicuâ Ptolemæi fulſit in arce
Bibliotheca, chori Pharos & cura vnica docti,
Unde per immenſum diſperſa volumina mundum,
Præclaram ingeniis lucem exeruere benignis:
Nunc Pharos abſorpta eſt, ſunt diruta culmina turris,
Nullaque Muſæi remanent veſtigia tanti,
Sed pia cura, pii REGIS, diſjecta coëgit
Saxa Phari, atque novum Muſis ſacravit honorem,
Erexque lares ſacros, auguſtaque tecta,
Invideat Phariis quêis Bibliotheca tyranni,
Inſtruxitque libris, quos mirarentur Athenæ,

Romaque

Romaque Gothorum nondum pede preſſa ſuperbo:
Ergo Pharo Pharos aſſurgat memphitica Scotæ,
Et cedant ſceptris Ægyptia ſceptra Britannis.

AN. BRVSIVS. P.P.

CARMEN EVKTIKON,

Pro incolumitate & fœlicitate IACOBI *Potentiſſimi, Chriſtianiſſimi, & Primi* Britanniæ, Franciæ, & Hyberniæ Monarchæ, *dum Scotiam ſuam ex Anglia inviſeret.*

CEntum ſex proavûm, *Rex Auguſtiſsime* Regum,
Sceptrigerûm, Europæ quos latus ſuſpicit orbis
Maxime, marte fero ſimul arte invicte *Monarcha*.
Contendunt alii, quèis vena beatior exſtat,
Immenſum pelagus laudum ſulcare tuarum:
At mea (quòd tenuis) pro regno & ſoſpite Rege,
Officii profert votivis pignora metris:
Cœlitus optatis tam juſtis pondus adeſto!
Vere novo vt Phœbus, per ſigna obliqua meando,
Frigore pigra prius radiis vegetantibus auget,
Sic natale ſolum repetens præſentia *Regis*,
Excitet ordinibus vires & gaudia cunctis.
Prima tuæ laudis ſit *Adorea*. Relligionis
Aſſertæ & puſidi purgatæ à fece papiſmi:

Illa ſuis ſignet monumentis poſteritati
Te zeli exemplar, veræ *ſpeculum* pietatis.
Concentu, *Patriæ Patrem*, clementiæ & æqui,
Eloquii & ſophiæ, Salomoni proximum honoret,
Totaque te celebret pacis Reſpublica *Aſylum*.
Te, Phœbæa cohors ſibi *Mæcenate*, Aganippes
Imbibat vbertim latices, & docta futuris
Tranſmittat ſæclis victuræ munera chartæ.
Alma Caledoniæ decorata Academia donis.
Munificum doctis te æternet carmine dio:
Te ſibi gratetur magnum Andreana patronum.
Regaliſque tui radiis hilaretur amoris.
Te *Conſtantinum* Cleri ſacer ordo. Senatus
Agnoſcat gravis ordo ſuum te *Iuſtinianum*.
Rara tuum certent [illegible] Aſtræaque ſceptrum
Firmando, ad ſummos apices perducere honorum
Teque, tuis trinis, bona copia, *Principe* regnis
Affluat, & lætis diffundat frugibus agros.
Vitalem aſpiret Regi favor entheus auram
Neſtoreos morbi immunes producere ad annos.
Hoſtibus eripiat cunctis, & acerba papatus
In te odia eludat magni Tutela *Tonantis*.
Nec tibi Sectarum præcidat ſtamina vitæ
Proditio, aut vſquam noceat vis dira ſceleſtûm,
Non interturbet Saturnia regna IACOBI.
Regibus emineat tantum tua gloria cunctis,
Sideribus quantum prælucet Cynthius, ortu
Flammiferos effert primo, cum mane jugales.
Denique vivendi in terris, Saturumque, regendi
Sanguine te Chriſti terſum, cœleſtia regna
Excipiant, captumque ſupra, fœlice corona,
Angelici ſplendore ſtatus, & gloriâ adornent.

Atque

Atque ita conſtanti faveat, qui indulſit amore
Iova triplex regnum tibi nullo ſanguine partum:
Tu modò promeritos ipſi concedito honores,
Sincerique animo cultus gratante repende
Vota tuo Regi, rata ſic tibi noſtra daturo.

M. R. WILLIAMSON.

AD SERENISSIMVM, POTENTISSIMVMQVE IACOBVM Magnæ Britanniæ, *Franciæ & Hiberniæ* MONARCHAM, ἀριστοτυπίς.

MAGNIFICAS ſolis Phaëton cum venit ad ædes,
Cultam vbi materiam nobile vicit opus.
Conſtitit attonitus nec enim propiora ferebat
Lumina, magnanimi fulgura clara Dei.
Dum Phœbus radios circum caput omne micantes
Deponens, natum juſſit adeſſe ſuum.
Summe parens patriæ ſic nos inſignibus arces
Imperii & clari faſcibus ingenii
Pallemus celebrem veluti dicturus ad aram,
Aut colubrum nudo qui pede preſſit humi.
Terrarum vaſtique maris Rex arbiter, ævi
Gloria, inacceſſi maxima cura Dei.

Pone apicem radioſque tuos, admitte Camœnas
Pulſantes, ſacras (numina noſtra) fores.
Quiſquilias tricaſque meras facili cape vultu,
Et dignum Imperio pone ſupercilium.
Quod ſi non recipis meritis niſi congrua, nemo
Æquabit laudes Rex generoſe tuas,
Non qui Smyrnæo deſcripſit pergama plectro,
Et cecinit Graiâ non imitanda tuba.
Non ſi Calliope non ſi producat Apollo
Orphea Biſtionum laurigerumque Linum.
Aſcita ingenitam non augent lumina lucem
Nec tua carminibus creſcere fama poteſt.
Laus tua conſpicuæ ſcandens ſuper aurea famæ
Culmina, non jam quo progrediatur habet.
Tu tua manſuris ſolus committere chartis
Geſta vales, nobis eſt voluiſſe ſatis.

De Rege Sereniſsimo Menſe Maio ad Natale ſolum Redeunte Gratulatio, Iterumque abeunte lachryma.

QUid fratres ſcandis geminos Sol aureè? quorum
Lucta vnus, volucri nobilis alter equo.
Stella Stuarta duos alterna luce micantes
Vincit, & innumeri ſideris inſtar adeſt.
Hinc puri ſinc fæce dies, hinc mitis Eois
Lucidius ſolito Cynthius exit aquis,
Hinc frondent ſilvæ, turgent & in arbore gemmæ,
Hinc vda emergit primula meſſis humo.
In pratis agnique leves hædique petulci
Luxuriant, quot non viderat ante Pales,

Annonæ

Annonæ veteris pleno bona copia cornu,
Atque hornæ Cereris ſpes alit agricolas.
Et volupe eſt Muſis lætas agitare choræas,
Et viridi ſacram cingere fronde comam.
Et feſtum celebrare diem Rex namque Camœnas
Reſpicit, & triſtes ſolus egere vetat.
Et charites miſtæ Muſis, Aglaia, Thalia,
Euphroſyne roſeis innuba virgo genis.
Exultat Phœbus, Pallaſque intacta triumphat,
Et ſaltat nudo Gratia Læta pede.
Aurea jurares cœlo demiſſa coruſco
Tempora, falciferi ſæcla beata ſenis.
Non has delicias non hunc tibi Maie leporem,
Conciliat nato Maia ſuperba ſuo.
Principis adventus præſens & numen, & ampla
Majeſtas Maio commoda tanta parit,
At cum ſubducet ſeſe hæc lux candida, flebis
Scotia, & ingratas experiere vices.
Heu qualis rerum facies? fugitiva queremur
Gaudia præcipiti lubrica ſtare loco.
Gramina marcebunt, languebit in arbore cortex,
Depoſitum diſcet fallere terra ferax.
Non ſalient teneræ per prata & ſaxa Napęæ,
Merebunt vitreæ ſicca fluenta Deæ.
Et licet obſcuro pellantur nubila cœlo,
Ex populi lachrymis largior imber erit.
Cynthius Informi vultum ferrugine tectus,
Orbatus magnâ parte decoris erit.
Ut Phaetontęæ triſtis poſt fata ruinæ,
Per cœlum fractis abnuit ire rotis.
Cimmeriæ vobis tenebræ fidiſſima Scoti
Pectora, cum averſis Rex pius ibit equis.

Phœbe mane, lux alma mane, mora libera ſi ſit,
Præſidium populi deliciumque tui.
Aut quoniam gaudent cœleſtia corpora motu,
Et nequeant vno ſidera ſtare loco.
Saltem cum Zephyris anno vertente reviſe,
Cum veniet blandi nuntia veris avis.
Te licet Hiſpanus Regem ſibi poſcat & Indus,
Scotorum ſemper pectore clauſus eris.
Te ſine languemus victi mærore, remotis
Ut Phœbi radiis ſqualida torpet humus.

Dignum laude virum Muſa vetat mori.

INSITA ſunt cunctis diuinæ ſemina mentis,
Quantum non illis corpora tarda nocent.
Hinc virtutis amor pulchrique innata cupido
Omnibus, & magnum gloria calcar habet.
Divorum genus Heroes & nomina Regis,
Magna fere magnis æquiparanda Diis.
Præ reliquis ardent, & famæ & laudis amore,
Et cupiunt dulci carmine facta cani.
Magnus Alexander parvam gemebundus ad vrnam
Dum ſtat, fœlicem prædicat Æaciden.
Quippe cui laudum præco ſublimis Homerus,
Contigit Aonii lux & origo chori.
Ennius arte carens Calabris è montibus ortus,
Scipiadæ thalamo proximus & tumulo.
Dicuntur bello partas ſacraſſe coronas,
Et Muſis veteres thure litaſſe duces
Et merito, quid enim Muſis eſt dulcius, aut quid
Indole Regali dignius eſſe queat.

Te tibi

Et tibi non durum circum præcordia ferrum,
Nec riget in fibris ſaxea vena tuis.
Mite ſed ingenium, molle & tractabile pectus,
Et tanto imperio congruus oris honos.
Facta adamantæis incidi digna tabellis,
Sola Sophoclæo facta canenda ſtylo.
Ergo fave titulis famamque extende benignam,
Invidiſſe tuis ne videare bonis.
Flagitat hoc hæres divini ſeminis heros,
Qui creſcat riguis vt ſolet almus aquis
Hoc patria expoſcit genibus minor, & ſibi ſemper
Plaudit, quod patriæ contigit eſſe tuæ.
Munera quæ natura potens, & numen, & aſtra
Singula diſpenſant omnibus, vnus habes.
Hæc tamen in tenues vaneſcent protinus auras,
Ni ſint artifici perpetuata manu.
Non hoc marmor, ebur, non æra Ephyreia præſtant,
Hoc dare Mnemoſynes filia ſola poteſt.
Atria præcelſis vel cœlo æquanda columnis,
Tectaque de Pario marmore regis opus.
Dives gaza, Arabum gemmæ, pretioſa ſupellex
Externæ tantum ſymbola ſortis erunt.
In tabula Zeuxis ducet Lyſippus in ære
Quæ fuerit vultus gratia, frontis honos
At non eximias dotes, radiantia mentis
Lumina, & antiquis æmula facta Diis.
Hoc tibi præſtabunt docti doctiſſime vates
Quorum operâ magnâ parte ſuperſtes eris.
Præterea rebus properant ſua fata caducis,
Longaque conſumit maxima quæque dies.
Vaſtæ pyramidum moles, Babylonis & alti
Mœnia, ſunt nomen præter inane nihil

Carmina contemnunt ferrumque, imbreſque, Iovemque:
Tempus in illa nihil juris habere poteſt.
Ædituis ſacris & vatibus addere calcar
Ne pigeat, thyrſo pectora tange tuo.
Vt ſtudio majore petant Helicona, tuiſque
Noctes atque dies laudibus invigilent,
Et vos O vates famam ſi quæritis, hæc ſit
Materies Muſis ingeniiſque ſeges.
Interea has inter lauros, hederaſque, myricas
Serpere, me inque tuis vatibus eſſe jube.

Ad Potentiſſimum Sereniſſimumque

Regem, qui vt Muſis otia præſtitit ita pau-
periem Levet.

NOn vocem intendit liquidis olor albus in vndis
Ni ſpiret Zephyri blandior aura vagi.
Dumque errat picto ſonipes ſecurus in arvo,
Suſcitat auditâ membra animoſque tubâ.
Ampla licet merces virtus ſibi, calcar acutum
Spes lucri, & caſtæ buccina laudis habet.
Nos ſi grata tui circumſonet aura favoris,
Pangemus Clario carmina grata Deo.
Non opus eſt rigido nobis accingier enſe,
Mittere nec validâ ſpicula lenta manu,
Auſpiciis Rex ſumme tuis ſunt carmina curæ,
Aonias recreant otia tuta Deas.
Non nunc Hiſpani rabies horrenda tyranni,
Non pedes, armatus non metuendus eques,
Iamque diu populi diſcordia corda Britanni
Iunxiſti æternæ copula amicitiæ.

Sed

Sed firmum nihil eſt,& ab omni parte beatum.
Vnus adhuc ſupereſt hoſtis & arma capit.
Pauperies male ſuada ſacris infeſta Camœnis:
Et grave quod nimio pondere mergit onus.
Non gravior vaſto moles impoſta Typhæo,
Suub tanto gemeret faſce ſtupendus Atlas,
Cui non certaret diram qui contudit hydram
Alcides: quamvis dictus αὐξιτέλης.
Fortior Alcide magno quoque major Achille
Huc ades, inque hoſtem ſuggere tela gravem.
Nec ſequere Auguſtum, quamvis potes, haud dedit aurum,
Penſavit doctis carmina carminibus.
Aurea ſed par eſt noſtrum dare munera regem,
Sæcula qui nobis anrea reſtituit.

Deſiderium Patriæ.

DUM parat ad patriam reditum Laertius Heros,
Adverſis rerum pene ſepultus aquis.
Tranſmittit plenis torrentia flumina ripis
Et ſuperat rupes aereaſque nives.
Syrenum voces Acheloia monſtraſorores,
Leucoſiam, Lygiam, Parthenopenque fugit.
Scylla rapax viſa eſt, viſa implacata charibdis,
Demerguntque Ithacas impia ſaxa rates.
Viſus & Ætnæo Siculus Polyphemus in antro:
Quem madidum multo perdidit ille mero
Nobilis inde Lami veterem delatus in vrbem
Antiphatæ vidit regna cruenta feri.
Naufraga campanæ legit quoque littora terræ,
Dives vbi Circe filia Solis erat.

Sed non cum ſociis infamia pocula ſtultis
Hauſit Acidaliæ toxica grata Deæ.
Reſtabat fatis aliquid ſpecioſa Calipſo
Viſenda Ogygii gloria prima ſoli.
Fecit delicias, vſa eſt mille artibus, ampli
Non animum vertit conciliumque viri.
Adverſos quoties cauſata eſt anxia ventos,
Et variâ longas nexuit arte moras.
Ah quoties dixit, quæ te dementia cepit?
Dum præfers cultis aſpera ſaxa locis.
Quæ neque ſunt planis ſpatiis porrecta, nec herbæ
Prodiga, nullus vbi Bacchus, & alma Ceres
Objecit populoſque rudes, humileſque penates
Penelopenque ream ſimplicitatis agit.
Addidit & dulcem vitæ immortalis honorem,
Et ſæpe immenſas jactat & auget opes.
Ille velut ſurdâ prudens avertitur aure,
Vt ſaxum tumidi quod ferit vnda ſali.
Qui ſolitus fumum & patriæ laudare favillam,
Et lætâ patrios fronte videre focos.
O qui cordato magis es cordatus Ulyſſe,
Armipotens, divis proxime, cura Deum
Ter quater eſt Phœbus ſua per veſtigia lapſus,
Perque polum celeres ſæpius egit equos.
Ex quo longinquas vltro invitatus ad oras,
Cœpiſti imperii fræna tenere novi
Non tamen innatum patriæ ſedavit amorem
(Quæ ſæpe imminuit maxima) longa dies.
Non alios ritus alioſve ediſcere mores,
Non facit inſolito fundere verba ſono.
Sed dicas Anglâ quidnam ſpecioſius aulâ,
Hic Thameſis decus eſt vrbis, & orbis amor.

Perſarum

Perſarum Syculæque dapes & lauta ſupellex,
Tactaque Niliacis æmula pene Pharis.
Sed quoties ſtudia antiqua antiquique penates,
Et ſubiere animum gaudia priſca tuum.
Dilectæ patriæ toties occurrit imago,
Et toties curis tortus es vſque novis.
Cuncta ſuos repetunt ortus, nemora alta volucres
Salmones nitidi flumina, luſtra feræ.
Omnia ſi nobis adſint, tamen omnia deſunt,
Si miſeris noto non licet ore frui.
Purpuream trabeam & ſacram ſpectare tiaram,
Libare & manibus Baſia mille ſacris.

IN DIEM IVNII XIX. SERENISSIMI POTENTISSIMIQVE REGIS NATALEM.

ILla dies primis qua Rex vagitibus auras
Hauſerat, in gyrum jam redit acta ſuum.
Quâ ceſſit corylis Laurus Romana Britannis,
Ceſſerunt tribulo Lilia Franca rudi.
Scilicet hic Syrium tribulus producit amomum,
Et manant rigidis Attica mella rubis.
Quem tribulum laſciva Paphos, fœcundaque Cyprus
Oblatum Idaliæ gaudeat eſſe Deæ.
Manſueta indomitum metuunt armenta Leonem,
Quæque tenent dumis obſita teſque feræ.
(Quid putet?) arctois audax Leo naſcitur oris,
Fulget vbi cælſo Parrhaſis vrſa polo.
Credibile eſt ergo gelidos caluiſſe Triones:
Tardaque præcipiti currere plauſtra gradu.

Priſtina forma ſolo redit, & ſua gratia cœlo,
Ludit & in vitreo cærula nympha ſalo.
Sol Cancrum ingrediens cancros imitatur, & vltro
Languidus averſis incipit ire rotis.
Phœbe caput nitidum radiis præcincte coruſcis,
Qui regis igniferâ ſidera pura face,
Nulla Thyeſteæ properantur fercula menſæ,
Quid fugis? haud Atreus impius exta coquit
Sol novus exoritur veteris virtute potenti
Vix opus, atque citæ eſt hæc tibi cauſa fugæ.

IN EVNDEM NATALEM.

ECce Dies rediit niveo ſignanda Lapillo,
Et Creſſa aut (ſi qua eſt) nobiliore notâ.
Conſcia divini partus, vberrima meſſis
Ingeniis, Muſis optima materies.
Phœbe veni rutilos auro redimite capillos,
Parnaſſum & Xanthi linque fluenta vagi.
Indue Sidonio tinctam bis murice veſtem,
Neve arcum pigeat condere, ſume lyram.
Lux fidibus celebranda tuis, fidibuſque ſororum:
Ut quæ vterum matris ſolverit ante tuæ.
Naſcenti lætum Parcæ cecinere triumphum,
Et dederant vni tres tria ſceptra Deæ.
Dicite io cives, & io bis dicite cives,
Natalis nobis omnibus iſte dies.
Hauſimus ex illo nitidæ primordia lucis,
Cœpimus atque aurâ liberiore frui.
Pallentes violas Nardumque, thymumque, crocumque
Congerite, & pictis Lilia miſta roſis.

Farre

Farre pio & caſtâ proni veneremur acerrâ,
Sacrificiſque crepent maſcula thura focis.
Qualia odoratis naſcuntur plurima glebis
Quæ Saba, vel dives qualia mittit Arabs.
Pulſentur pelves & tintinnabula fanis:
Omnibus, auſpicio lux eat iſta bono
Ah quid ceſſamus reſides in votâ preceſque,
Pro vitâ Domini publica vota ſacri.
Non te ſumme Deus fulvum jam poſcimus aurum,
Non petimus culti jugera læta ſoli.
Regi at inoffenſam per tempora longa ſalutem,
In qua vita omnis noſtra ſaluſque ſita eſt.
Iam decies quinos numeravit in ordine Ianos
O decies denos adde benigne parens.

Ad cives ut Natalem REGIS *Feſtum habeant.*

NOn nunc inverſum contriſtat Aquarius annum,
Vaſta nec Æoliis flatibus antra patent.
Non jam convexis dependet ſtyria tectis,
Nec coît aſtricto fluminis vnda gelu.
Sed nitet auratis radiis liquidiſſimus aer,
Halcyone ſtratis æquora mulcet aquis.
Arva micant violis atque æternis Amarinthis,
Fulgent prata roſis quas legat alma Venus.
Omnia ſint operata Deo, ne fœmina tractet
Fuſum, aut lanificæ penſa ſevera Deæ.
Claudat oves paſtor, curvus requieſcat arator,
Nec ſcindat pinguem vomere taurus humum.
Sed ſtratas ornent genialia fercula menſas,
Et furno aut calido cocta placenta foco.

Non juvet agricolas lapathus malvæque ſalubres,
Agnus at infeſti raptus ab ore lupi,
Aut lepus, aut captus laqueo grus ad vena tento,
Aut turdus curæ præmia grata ſuæ.
Nam princeps curare boves, inflare cicutas,
Capros & pingues paſcere juſſit oves
Iuſſerat & rudibus redimitos tempora ſertis
Te non compoſitos membra movere modos.
Vos quibus eſt ſors læta magis, magis ampla ſupellex
Inſtruite O feſtas annua ſacra dapes.
Stet defecati gravis amphora plena falerni,
Promite & annoſis condita vina cadis.
Tibia miſta lyræ reſonet Berecynthia Buxus,
Dulcia Pieriis plectra movete modis.
Perſonet auratâ Citharâ crinitus Iopas,
Aut potius ſumptâ cantet Apollo lyrâ.
Dulcibus alloquiis æſtivam fallite noctem,
Dat veniam nato principe juris apex.
Magne Geni, venerande Geni tua ſacra frequenta,
Dexter ades votis ominibuſque piis,
Dexter ades nardo Syrioque perjunctus amomo,
Flores, vina, tibi debita thura cape.
Inſſus adeſt Genius nec dedignatus honorem,
Accumbit poſitas libat & ore dapes.
Securam miſeris vellit mortalibus aurem,
Et memores fluxi temporis eſſe jubet.
Conſiliis morem gerimus monitiſque benignis,
Det Regi Pylii ſæcula terna ſenis.
Det ſaltem æſtates novies implere novenas,
Vitæ hominis ſummus qui ſolet eſſe gradus.
Divino totidem tribuit vis illa Platoni
Rex pax ingenio eſt imperioque prior

Det

Det Regi corpus vegetum, mentiſque ſerenæ
Lumina non vllis lumina fuſca malis.
Interea fauſtos per læta precabimnr annos,
Tempora quæ vitæ ſunt ſocianda tuæ.
Aſpirant precibus præſentia numina noſtris,
Nec fiunt rapidis irrita vota notis.

DOCTRINA PRINCIPIS ORNAMENTVM.

CAsta Minerva truces enſem diſtringit in hoſtes,
Torquet & intrepidâ Martia tela manu.
Nocturnis eadem ſolet impalleſcere chartis,
Et crebro pluteum cædere, ſæpe caput.
Sic ſcandit princeps ſolium ſpectabilis altum,
Imperio clarus clarior ingenio.
Quam bene conveniunt & in vno pectore ſidunt
Imperii faſces, ingeniique faces.

AD POTENTISSIMVM INVICTISSIMVMQVE MAGNÆ BRITANNIÆ, &c. MONARCHAM

PANEGYRICVS.

PHœbe vices anni varias qui præpete curſu
Dividis, æthereis flammantia lumina templis
Conde, orta eſt nova lux major, namque æmula tellus
Iam ſolem eſt enixa ſuum, qui luce jacentes
Axe ſub Arctoo terras illuſtrat, & omnem

Conſpicuæ lucis radios diffundit in orbem.
Martia qui populi ſed Marte invicta Britanni
Pectora, ſubſtrictis flectit rationis habenis
Qui quamquam emineat titulis inſignis, avitis
Magnis major avis, ſena & centena priorum,
Stemmataque & Regum, titulos ipſe ornat & auget
Mole nova, tribulumque roſæ pardumque Leoni
Unit, & vt ſtabili concordent fœdere raucæ
Iunxit fila Lyræ, qualem vel Thracius Orpheus
Sumpſit vbi rapidas voluit compeſcere tigres,
Vel qualem Amphion Dircęæ conditor arcis
Quem perhibent numeris lapides animaſſe canoris.
Quodque magis ſtupeas non vnquam contigit vlli
Talis honos, tanto procerum plebiſque favore.
Fœlix vnanimis quem publica gratia votis
Flagitat, & cujus regni primordia fauſto
Omine ſubſequitur noſtri concordia mundi.
O fortunatos populos felicia regna,
Tam miti ſubiecto iugo, que poplite flexo
Tam molle imperium agnoſcunt non effera ſevi
Hiſpani rabies non Turcæ effræna poteſtas
Qui totum ſumptis orbem circumtonat armis,
Compellet veteres ſedem mutare Britannos,
Aut alio profugos ſecum aſportare penates.
Præſidium, arx, columen, ſtatio, tutamen, aſylum
Rex erit, & ſævum Clypeus porrectus in hoſtem,
Quem non frangit hebes ſomnus, nec inertia Siren
Improba, nec patitur luxu tabeſcere corpus
Indomitis ſed gaudet equis duriſque lupatis
Temperat, in patulo ceu vult decurrere campo,
Ceu ſinuare fugam, & gyros in mille ferocem
Flectere cornipedem, Chiron, victorque Chimeræ

Belle-

Bellerophon, victis Pollux quoque cedet habenis,
Venatu invigilat, modo tendens obvia cervis
Retia, vel captus prædæ melioris amore.
Fulmineos invadit apros, rigidoſque per armos
Arma quatit certâ defigens vulnera ſede.
Mundi oculus, luciſque Deus, miſeratus iniquam
Scotigenûm ſortem, craſſis adoperta tenebris
Pectora, & averſas à lucis origine mentes
Vidit, & indoluit, cœloque emiſit ab alto
Te radioſque IACOBE tuos, queis omnia cedant
Sidera, non Helice nautis bene nota Pelaſgis
Prævia nec dubiis par eſt Cynoſura carinis
Poſtquam alluxiſti Scotis nox atra receſſit,
Protinus & denſæ fugiunt caliginis vmbræ.
Namque prius (meminiſſe piget) gens noſtra colebat
Degeneres luteoſque Deos, ſimulachraque vanis
Picta modis, vitæ ſenſuſque expertia fuco
Perlita, & in ſtygiis inſomnia nata tabernis.
Sed ſimul invicti fax illibata STVARTI
Emicat, humani pereunt figmenta cerebri
Ad vivum verumque Deum libamina puræ
Mentis, & incoctum generoſo pectus honeſto,
Deferimus ſpretâ Latiæ meretricis acerrâ.
Legibus, exemplo, vitâque accendit in oris,
Omnibus ardentem veræ pietatis amorem.
Iuſtitiæ vindex, legumque minacia molli
Numine vincla levat, mitis clementia ſummi
Temperat examen juris, pax aurea dotat,
Ditat & invictos illo regnante Britannos.
Armorum paciſque bonæ licet arbiter, armis
Ocia, pacalem lauro præponit olivam.
Scuta ſitu marcent ſcabra rubigine tela

Squalent, in curvum gladius conflatur aratrum.
Sed quid ego Icariis demens ſuper æthera pennis
Vectus, & infido poſiturus nomina Ponto,
Innumeros laudum titulos, & pondera rerum
Ingenio majora rudi comprendere conor.
Quis Cereris ſpicas Bacchi numeravit & uvas?
Plurimaque in latis naſcentia gramina pratis?
Irrigat aut quoties ſitientes optimus agros
Iupiter, & læto deſcendit plurimus imbri?
Quiſnam deciduas guttas percenſuit vndæ?
O ſi Mæonium ferrent hæc ferrea vatem
Sæcula! non iram caneret florente Thaliâ
Militis indomitam, longiſque erroribus actum
Æolidem, tu *Nectareis* longe potiorem
Sufficeres numeris ſegetem genioque poëtæ.
O vtinam in terris lampas STVARTA perennet,
Scotigeni ſolemque ſoli non vllus Horizon
Terminet, occiduas ſero declinet in oras.
Scotia ter fœlix tanto ſe jactet alumno,
Scotia ter fœlix tanto gratare patrono,
Delitiæ rarumque decus tibi contigit ævi,
Omnibus opponas vnum, quos Græcia mendax
Vendicat, aut crebris Roma imperioſa triumphis.

HENRICVS DANTSCINVS.

Phœbus & Kynolochus colloquuntur.

Kyn. PHœbe pater ſuccurre pius faciliſque, volenti
Magnanimum Aoniis concelebrare modis,
Cui mundi ſator indomitis dare jura Britannis,
Et dedit invictâ ſceptra tenere manu.

Phæ. Tune vnquam meritâ celebrabis laude Monarcham,
Terrenique feres nomen in astra Dei;
Quem decor auratis ambit quem gloria pennis,
Quem tremit & cujus numen adorat humus.
Kyn. Sarcina magna, meis humeris minus apta, favoris
Audacem faciet vel levis aura tui.
Phæ. Num Phaëtontæus furor, aut fanaticus ardor
Præcipitem in furias, certaque fata ruit.
Principe digna tuo non pangere carmina possēs
Robora si nostris viribus aucta forent.
Kyn. Ergone magnanimi reticebo encomia regis;
Nec dabitur laudes concelebrare tuas
O patriæ pater & mundi rarissime Phœnix,
Præsidium regni spes columenque tui,
Extera qui nutu, qui propria regna profundis
Consiliis, summâ cum pietate regis.
Mirantur mundi reges pia numina, pacis
Imponis toti fœdera grata solo:
Gallia nuper erat civilibus obruta bellis;
Nunc duce te accepto munere pacis ovat,
Et quod Belga ferox, & quod truculentus Iberus
Pacifice vivant, muneris omne tui est.
Quod Suedo pax cum Cimbris cum Saxone Iberis
Germanisque viget muneris omne tui est.
Anglus amat Scotos, Scotis chariſſimus Anglus,
Hyberniſque simul, munere Sexte tuo.
Vt triplices animos regeres in pace, videris
Cœlitus in terram missus abarce poli.
Musarum hic charitumque cohors tibi tota precamur
Aurea sæcla soli, seraque regna poli.

DAVID KYNALOCHVS, D. DAVIDIS F.

In reditum Auguſtiſsimi Monarchæ *Jacobi primi Magnæ Britanniæ, Franciæ*, & Hiberniæ Regis, &c.

CARMEN ΕΠΙΧΑΡΙΣΤΙΚΟΝ.

Pristina jam facies rebus, ſua reddita terris
Forma, ſuus ſilvis rediit decor: arvaque frugum
Vbere luxuriant præſtanis æmula glebis:
Exultantque choris nymphæ: iam numine fæta
Templa novum Pæana canunt, & thure vaporant:
Oppidaque indigenam ſumunt rediviva nitorem:
Et, quæ victa, ſitu fœdo, & mœrore iacebat,
Sole diu viduata ſuo, nunc Scotia geſtit,
Donec, hyperboreis Saturnia ſæcla Britannis,
Orbis ab adverſo, diffundens aureus, axe
Diſpulit invectis tenebras noctemque quadrigis,
Lucis inoffenſæ radiis. Licet ora marinis
Fluctibus immergens, ſe nunquam proluit arctos;
Præradiat reliquis aſcito lumine ſtellis.
Te ſtupet intacto divinæ lucis honore
Longe conſpicuum, feſtos fremituque ſecundo,
Excipit ingeminans plauſus, circumflua turba,
Dum redis aurato curru præſignis, & oſtro,
Tempora palladiæ vittis evinctus olivæ
Enthea; Cumęæ queis lauri innexa corolla.

Pax

Pax invicte tuum latus obtegit aurea lævum,
Spicea ſerta gerens: dextrum vultuque verendo
Religio, ſummi reſerans arcana tonantis.
Vincta præit captiva ſuo Bellona flagello.
Lumine ſacrati vultus, pater optime Muſas
Aſpice languenteis; illis infunde vigorem:
Atque ſuo Phœbus ridens affulgeat orbi.
Sic clarus tibi ſurget honos: ſic præpetis alæ
Gloria remigio, te lucida tollet in aſtra:
Famaque venturis ſæclis æquæva vigebit.

GVLIELMVS MARTINVS.

VIsere *REX* noſtras non dedignaris Athenas,
Edidit in lucem quoniam te Scotia Regem,
Nutrivitque ſuis Scotorum Eccleſia mammis.
Nonne Caledonias vnus fœliciter oras
Servas? tu verſatus eras à flore Iuventæ,
Aonias inter Parnaſſo in monte ſorores.
Ergo ſalutiferam caſtis (Rex Magne) Camœnis
Tende manus, alacres libabimus oſcula mille.
Aſpicis vt famulas ſanctus tibi porrigat vlnas
Obvius Andreas, magna ſtipante catervâ
Muſarum, & clamat nobis gratiſſimus adſis:
Incolumem quoniam Muſæ facilemque recurſum
Exoptant, Pylios & cum ſuperaveris annos
Aurea cum CHRISTO æternam ſuper æthera vitam.

GEORGIVS MVDÆVS.

REGIS EGKΩMIASTIKON.

EXhibuit Cæſar varii ſpectacula ludi:
Gymnica, Naumachias, Retia, bella, feras.
Cæſaris hæ laudes: totieſque Theatra ſecundo
Applauſu, hunc Patriæ perſonuere patrem.
Quantula laus? ſenſus avido mulcere popello?
Ludorumque animos frangere deliciis?
Gloria te major ſtimulat (Rex Magne) Theatri
Quam fremitu cives demeruiſſe tuos.
Dum populo & patriæ modo te ratus eſſe creatum,
In populi & patriæ commoda totus abis.
Legibus exornans ſanctis fora publica: paſſim
IVSTITIA vt terras incolat æqua tuas.
Et Divina jubens ſincere oracula pandi:
Vt PIETAS regnis floreat alma tuis.
Talibus exornas Regni data ſceptra: det ipſe
Iudicium Cæſar, gloria, major vtri?
IVSTITIA & PIETAS Regni duo fulcra, Theatri
Exſuperant quantum ludicra mamorei,
Cæſaris excedit tantum tua gloria: Magnus
tantum etiam Cæſar ceſſerit ipſe tibi.

IACOBVS GLEGGIVS.

HActenus en pleno tumuerunt pectore vates
Vt canerent laudes Rex Iacobe tuas,
Quid mihi iam ſupereſt? quid & ô Rex optime reſtat,
Quo ferar in laudes Rex Iacobe tuas?
Nam mihi cum nullus regnet ſub pectore Phœbus,
Vt poſſim laudes vel tetigiſſe tuas,
Gloria lauſque aliis ſit Rex ceciniſſe poëtis,
Maxima ſit Muſæ laus voluiſſe meæ.

IACOBVS FVTHÆVS.

CORIDONIS QVERÆLA,
Super diuturnâ DAPHNIDIS *abſentiâ.*

TEMPVS erat vitreo cum primum paſcua rore
Sparguntur, volucrumque ſtrepunt virgulta querælis
Cum Coridon prope nota gregem produxerat antra,
Ipſe ſedens curvi ſolus ſub fornice ſaxi,
Quâ venis ſcatet & trepidantibus eruta rivis
Vitrea per tutos immurmurat vnda lapillos,
Texebat viles lento de vimine qualos:
Dumque ſedet, ſolitum cantu minuente laborem,
Talia dulciſonâ modulatur carmina voce:

Daphni decus campi paſtorum Gloria Daphni,
Quando erit vt veſtri Coridonis rura riviſas?
Quando erit vt mecum per Florida rura feraxque
Rus celeres venêris apros? quando invia tempe
Et curſu excîtos celeri luſtrabimus amnes?
Sed juvat ire: quis O qua Grampius ardua cœlo
Culmina confundit, me ſiſtit? quis mihi nigrum
Oſtendet nemus, atque exercita flumina curſu?
Sed Coridon quo tendit? abeſt tua Gloria Daphnis
Duxque Comeſque tuus: ſquallent ecce omnia, ſylvæ
Demiſere comas ramis, non vlla loquuntur
Mollia diſcordi ſtrepitu virgulta: canoræ
Triſte ſilent volucres, plangunt ſua brachia quercus.
Non velut ante vagi reſidet prope fluminis vndam
Tityrus, atque gregem conſtructis mulcet avenis:
Cujus Daphnis abeſt, ipſa hæc te flumina Daphni
Ipſi te fontes atque ipſa arbuſta reclamant.
Daphni decus Campi paſtorum Gloria Daphni,
Si qua tui ſupereſt Coridonis cura redito.
Quid juvat ad Tameſin alienis degere in oris,
Et patrium Fortham & fœlicia ſpernere rura,
Rura tuis patribus quondam (eheu!) culta tibique?
Ah memini (quanquam eſt magnus meminiſſe bonorum
Quæ periere dolor) memini cum per juga montis
Aerii lepores mecum ſequerere feraſque,
Te patrios ſaltus atque hęc te flumina Daphni
Heſperidum cultæ atque Arabum præponere terræ,
Quo patriæ nunc ceſſit amor? nunc patria ſordet
Ipſa tibi & patriæ ſordent pia numina Nymphæ.
Aſpice qui luctus teneant Faunoſque Napæaſque
Aſpice, non Faunus pinu præcinctus acutâ
Tempora, non montis prærupto in culmine vt olim

Exercent

Exercent choreas Nymphæ, non vlla voluptas
Rura tenet, deſunt ecce ipſæ gramina terræ,
Arboribus frondes, nitidiſque en fontibus humor.
Pro molli violâ & ferrugineis hyacinthis,
Exurgunt ſpinæque & dente urtica maligno,
Proque roſâ tribuli fœcundaque gramina lappæ.
Daphni redi læſas tunc tunc reviteſcere ſylvas
Cernes, Daphni redi tunc læto gramine tellus
Et totum effuſis ornabit floribus annum.
Daphni decus campi paſtorum gloria Daphni,
Si qua tui ſupereſt Coridonis cura redito.
O vtinam hæc Zephyrus ſurdas ad Daphnidis aures?
Deferat, & triſtes ediſſerat ordine queſtus.
Et referat miſeri quæ ſit Coridonis imago,
Atque addat lachrymas & luctiſonos ſingultus,
Tunc tibi amor patriæ vel lenis pectora Daphni,
Morderet, cupereſque tuum Coridona videre.
Sed fruſtra ingemino hæc ferus omnia Daphnis in Anglos
Tranſtulit, oblitus patriæ: patriamque peroſus
Mille inter caſus & mille pericula vivit:
Nil Gnati manes, nil triſtia funera tangunt
Magnanimi HENRICI: nil deteſtabilis antri
Horrendum ſcelus atque impletæ pulvere terræ
Nitrato, nil illa dies quæ teque domumque
(Horreſco referens) quæ te parvoſque nepotes
Et ſociam thalami evertiſſet in ætheris auras,
Daphni Caledoniis non hæc horrebis in oris,
Non gnati læthum, peſtem, infidaſque latebras,
Et non theſſalico metues infecta veneno
Pocula, non ſtrictos horrebis territus enſes.
Daphni decus Campi paſtorum Gloria Daphni
Si qua tui ſupereſt Coridonis Cura redito.

O quoties timui dum celsâ ex arbore cornix
Raucâ voce tonat, dum dirus carmina bubo
Ingeminat, ne te, ne te dulcissime rerum
Infaustum peteret fatis dictantibus omen:
Et cum vespertinus obambulat vrsus ovile
Et lupus insidias pecori meditatur, eodem
Posse modo fieri metuo, vt tibi retia tendat
Qui tibi vel regnum tantum qui sceptra tiaramque
Invidet: O veros nimium justosque timores!
Quinetiam LONDINVM ipsum TAMESISQVE fluentum
Nomina sunt ipso sunt pene canore timenda,
Denique nulla vacat vitæ mihi portio cura,
Sive latet Pbœbus, seu clarâ lampade terras
Illustrat, seseque ostendit & omnia secum.
Denique quidquid ago semper te mente revolvo,
Seu potum pastas soleo deducere capras,
Seu revocare greges pendentes rupibus altis,
Sive arguta novum resonabit carmen arundo,
Seu feror in sylvas & saxa sonantia lustro,
Auritosque sequor lepores, mihi nulla recedit
Nulla dies sine te nullumque opus. O mea Daphni
Gloria, si qua mei supereſt tibi cura redito.
Sunt mihi Capreoli bini queis candida nigræ
Vellera depingunt maculæ, quas Bellula Daphne
Daphne sola meos quæ datque facitque furores,
Ipsa mihi dedit & gemino cum munere bina
Oscula, nunc istos tibi, Gloria nostra, reservo.
Est mihi pica loquax, est & mihi dulcis alauda
Ad numeros cantare perita & plangere dulci
Carmina mille sono, blandissima munera: suntque
Omnia qui superant tot dulces munera versus,
Quot nunquam medio venient ex æquore fluctus.

Hic

Hic tibi vel mopſus fuſcuſque legetur Amyntas
Theſtylis hic, & flava Lycorias & mea Daphne,
Et Iani furor & duræ conſtantia Roſſæ:
Paſtorumque leges certamina, lætaque amantum
Prælia Nympharum, molleſque ſub arbore ſomnos,
Omnia quæ in viridi tibi cortice ſcripta reſervo.
Daphni decus campi paſtorum Gloria Daphni,
Si qua tui ſupereſt Coridonis Cura redito.
Sic poſtquam Coridon in longum ducere queſtus
Deſiit oppreſſit victor pia lumina ſomnus.

Ponebat

GODEFRIDVS vander HAGHEN,

MIDDELBVRGO-ZELANDVS.

AD SCOTIAM

ΠΡΟΤΡΕΠΤΙΚΟΝ ΚΑΙ ΣΥΓΧΑΡΤΙΚΟΝ.

IUSTA tibi oblata exultandi occaſio tandem
SCOTIA quæ luctu ſqualore ſituque jacebas
Preſſa diu, terreni omnis ſolaminis expers:

Quippe tui multùm optati datur ora videre
Cæſaris, & notas audire & reddere voces.
Quemque ipſæ pinus cœlo capita alta ferentes,
Quemque ipſi fontes, quemque ipſa arbuſta vocabant,
Expectatus adeſt, pompa comitante Britannûm,
Agmine miſcello, procerum, & dulcedine ducens
Eximiâ natale ſolum, cunaſque reviſit.
Ergo age depoſitis caput exere Scotia curis,
Exere læta caput, cohibe viridantis olivæ
Fronde comam namque æternam tibi ſidera pacem
Regnaque compoſitis ſpondent Saturnia bellis:
Iam redit in terras, cœlis Aſtræa relictis,
Et comes Aſtrææ pleno bona copia cornu:
Iam redit & læti renovatrix gloria ſæcli,
Corda diu exhilarans languenti hebetata veterno:
Iam quoque ſecurus patulæ ſub tegmine ficus
Quiſque ſuæ recubat, nec jam de nocte ſilenti
Vt jugulent homines, ſurgunt, velut ante, latrones:
Verum ſi libeat tutus diſcrimine ab omni
Carpere iter, vel nocte poteſt, vel luce viator,
Sive per Auſtrales obeunda negotia fines,
Sive per intonſos, ventoſa cacumina, montes
Et loca ſenta ſitu, & prædonibus hoſpita teſqua,
Queis cordi ante fuit prædari, & vivere rapto
Tuta etiam junco ſervatur vacca paluſtri,
Nec Marti locus eſt, Iàni compagibus arctis
Clauduntur portæ, pax, & concordia dextras
Conjungunt, nec non ſibi mutua baſia figunt,
Omnia floreſcunt pace, omnia pace vigeſcunt,
Et penitus toto diviſa Britannia ab orbe,
Nec minus in ſeſe, (tot enim labentibus annis
Nullus amor populis, nec pax, verum horrida bella

Queis

Queis maduere truces, fraterno ſanguine dextræ)
(Horreſco referens) vni nunc ſubdita ſceptro eſt,
Atque ex oppoſitis regnum coaleſcit in vnum
Nec non finitimæ coiere in fœdera gentes
Hinc atque hinc: foris atque intus concordia tanta eſt:
Adde quod errorum cæcâ caligine pulſâ
Hæreſiumque Antichriſti radiante refulget
Luce Euangelii & ſinceræ relligionis.
Talibus atque aliis Iacobo Principe raris
Aucta bonis, exempta malis, O Scotia fœlix,
Quæ regio in terris ſeptem ſubjecta Trioni
Præ ſe non merito te prædicet eſſe beatum.
Fare age pro ſupra memoratis ordine donis
Quid reddes Domino? grates perſolvere dignas
Non potis es qui te tam raris Rege beavit
Dotibus exculto, & fœlici ſidere nato.
Cuius Mæoniæ detur ſi gloria Muſæ,
Non omnes poſſem modicis comprendere chartis,
Omnibus exactas numeris nec dicere partes:
Dicere tentanti vellit mihi Cynthius aurem,
Et vetat eximias, & tanto Cæſare dignas
Deterere ingenii deducto carmine laudes:
Hinc in te apparent divini ſigna favoris,
Namque ſuo Dominus calida inflammatus ab ira
Præfecit populo Saulem regem improbum, iniquum.
Verum vbi pacatus vultu huic arriſit amico,
Reiecit Saulem, & capiti diadema revulſum
Ieſſaidi dedit, huic ſacro perfudit olivo
Tempora, & impoſitum ſolio moderamina regni
Suſcipere, & ſanctæ iuſſit ius dicere genti.
Ergo tui Domino grates cane Davidis ergo
Scotia, nec ceſſa ſupplex in vota, preceſque

Hunc ſuper expandat læti ut muniminis alas,
Et circum Angelicæ figant tentoria turmæ:
Præſidioque ſciant, ne vi, nec fraude feratur
Exitium incauto, vires animumque miniſtret
Cœlitus, vt legum & iuris moderetur habenas
Ad regni decus immenſum, patriæque, ſalutem.
Nnminis auſpicio, & famæ pernicibus alis
Gloria perpetuæ ſeſe ſuper æthera tollat.
Vtque diu interſit populo præſitque Britanno
Vivere det fauſtam longæva in tempora vitam.

PATRICIVS IOHNSTONVS.

ΕΠΚΩΜΙΟΝ ΘΑΥ-
MASTIKON.

DVLICHIO quid vana viro facis agmina laudum
Græce? quid Iliaci patriam populantis opimam
Laus ſuper æthra viri Latialem abſorbet Homerum?
Læta quid exultas crudeli Cæſare Roma?
Pompeio, Deciis, Fabiis, Scipione cruentis?
Vana quid Æmathio tu Græcia Rege tumeſcis?
Quidve Therapnæos memoras evanida fratres?
Quid canis aut Othomanigenas immanius atro
Dite genus palpo? Phlegetontica ſemina Papam
Denique quid canitis? Summanum faſce, tyarâ
Cerberum Avernalem, Stymphalia monſtra rapinis,
Burſicremâ Eumenidas flammâ, nauloque Charontem

Vlla

Ulla ne vos miſeros compellit adorea, virtus,
Aut decor imperii? cæcos veſana favoris
Aura tetri potiuſne rapit? furiæque ſequutæ
Tartareæ? tales ſpuriâ exornare Camœnâ.
Pandoram titulis fas ſit decorare ſonoris
Aſcræo fatuam vati: miſerabile vulgus
Cum ſtupeat, ceu dona Deûm, Regeſve homineſve.
Haud tamen hæc cunctos rapit admiratio: namque
Queis ſale conditum pectus nec cornea fibra eſt
Enthea mens ſteriles curas humilemque popellum
Pertæſos, ſolidæ fructum decerpere laudis
Iuſſit odoriferum, rapido ſublimia curſu
Quoſque ſequi: temnunt vani oblectamina vulgi,
Cunctaque deſpiciunt titulis decorata ſuperbis,
Quæ non digna ſuis illuſtrat adorea donis.
Ergo te titulis cum fecit adorea mactum,
Artes Palladiæ, Muſæaque caſtra ſtupendum:
Dia Deûm ſoboles, decus immortale ſororum,
Gloria ſceptrigerûm, ſpes incorrupta tuorum,
Prime Britannorvm Rex Invictiſſime Regum,
Te meritò miratur ovans, celebratque Camœnis
Dulce jugando melos, Iuvenumque ſenumque corona:
Aurea quâ flectit rapidos Aurora jugales,
Heſperus occiduos roſeis quâ ſuſcipit vlnis,
Et quâ flammivomis Garamas torreſcit & auſter.
Quid quod cœlicolæ jactent ſua munera, Divi,
Teque vacent variâ diſiunctim laude Iacobvm
Pandorum celebrare ſuum, decus omne Deorum:
Empyreos tua ſic patres rapit enthea virtus.
Iuppiter imperium iactat ſua munera quadrum,
Æmula regna ſuis, pronos faſceſque tuorum:
Punicco ſolium decorans diademate eburnum

Suſpicit omnis, amat, miratur teque celebrat
Cum Iove, ſydereâ paſſim exultante caterva.
Iuno Moneta datas opulentas, Ops & opimas,
Spiciferaſque Ceres terras tibi gaudet alumna.
Cæruleos Neptunus equos laſſare datam vim,
Atque fluentiſono leges te ferre profundo,
Fluctícolæque tuis gaudent adſueſcere ſceptris:
Turbaque laſcivis applaudit ſquamea gyris.
Cingere dumoſos venatrix Delia ſaltus,
Auritoſque ſequi lepores (tua gaudia) jactat:
Applaudunt lætis choreis ſylveſtria Nymphæ
Numina florilegæ tibi, ſutilibuſque corollis
Auricomos laſſant crines & tempora dîa.
Suada decora tibi puro ſtillantia melle,
Verbaque mellifluo modularier ore rotunda.
Larga piæ oſtentat ſophiæ ſua dona, Minerva
(Admiranda viris ſed non imitanda) & alumno,
Innuptæ thalamis ſeu digno jure marito,
Iam tibi Palladios merito decrevit honores.
Arrogat interea viridanti tempora lauro
Doctificus tua cincta pater: mediamque coronam
Caſtalidum veneranda cohors, & turba ſororum.
Quicquid id? æternos peperit vis mentis honores
Sublimata tuæ: cui cedat avita propago,
Stemma per innumeros deductum nobile reges,
Quadrifidum cedat diademaque: creſcitis vndâ
Vos qui Pægaſeâ rivis alimenta ferenti
Caſtalidos vati meritos concedite honores,
Muſarum quicunque ſacris doctæque litatis
Palladis, eximio Regem Pæane canatis:
Hoc duce & Æolios conſtanti tramite greſſus
Carpite, & Auſonium debellatote tyrannum.

Denique

Denique flagranti jactat puer aureus ore,
(Pectora edax quamvis populetur arundine sævâ
Tabeque cunctorum) tua viscera cuspide tangi
Nectareâ, condique tuis sua tela medullis
Aurea, queis humiles perfindis amore Britannos.
Ille Cupido tuum populum quo fortius ardes
Altior est Pæane virorum, parque Deorum
Laudibus, & longe pariles quos vulgus amores
Miratur superat: Pylades Phocæus Oresti,
Pirithoo, Theseus, Danao Patroclus Achilli
Non tam junctus erat, tua quam tibi Scotia fido:
Namque tenebrosi poterit vis fervida Ditis
Solvere nulla animos conjunctos, nulla micantis
Rumpere stagna Tagi rutilas stillantia gemmas.
Turgida jactabat jamdudum Scotia, natum,
Regem, Philosophum, duplici bis fasce verendum,
Doctorumque patrem: ast encomia nubila jam sunt:
Admiranda aliàs multum queis jure cluebas:
Sic Phœbeus amor radiis prælustre coruscans
Stellifugis propriæ cor Deli, carduo amœnos
Restituens vultus languenti, roscida risu
Perfundens arva effuso, Satyrosque petulcos
Increpitans, Dryadesque fugans, Faunosque bicornes,
Compita quæque hilari sylvarum sive viarum
Exhilarans gressu, querulas radiansque sorores,
Luce moras lentas IO compensante coruscâ:
Sic rapit attonitam patriæ tua cura videndæ.
Non meritum nostrum, non munera larga facessunt,
Non animi parilis te reddita flamma lacessit,
Omne Cupidineo dono at debetur, & omne
Blanda tui facit hoc quæ nos fovet aura favoris.
Quem memorare chely magno conamine tendit,

Mens animi : at vanis Danaēiâ dolia lymphis
Implet & eximias generosa chorea Deorum
Quas stupuit dotes magè vili deterit ausu.
Anne ego vesticipes vixdum juvenilis ephebi
Emensusve dies, vel limina docta sophiæ ?
Muneribus Rex vlla tuis ter Maxime sūmis
Plectra movere ausim ? aut humili celebrare Thaliâ
In te lata Deûm rutilantia dona ? misellum
Sorpserit an potius rabidi alta vorago furoris
Obruerit rapidis comprensum vasta lacertis,
Obrutum & in Stygias mala me detruserit oras,
Fruſtrà ubi Minoa orem luctisonis lamentis.
Ergo Sigalion mea muta silentia signet
Fœlici digito, capitatâ fronte minaces
Ne timeam Momos, succo foliginis atræ
Suffusosque homines : memorem tua vota silenti
Calliope (quis enim par est memorare vocali)
Thespiadum numerosa Phalanx non digna sororum,
Non Phœbæa chelys potis æquos ignibus hymnos
Annumerare tuis) mihi sat mirarier almum
Quem stupuere Dii regesque hominesque favorem.

Ioannes Perlivs, S. S. T. S.

A D

AD IACOBVM MAGNÆ BRITANNIÆ, FRANCIÆ, ET HYBERNIÆ REGEM,

Temporis ſerie ſextum, Virtute primum.

QUi rerum obſervant ſeriem, Ter Maxime Princeps,
Hujus te ſextum nominis eſſe ferunt.
Falluntur miſeri me judice, turpiter errant,
Dum numerant digitis tempora ſollicitis.
Nam ſi virtutum ratio ſit habenda tuarum:
Non ſextus, primus nominis huius eris.
Primus qui fido iunxiſti Saxona Scoto;
Et potes indomitis iungere Gryphes equis;
Nec mirum tibi facundi Demoſthenis eſt os,
Inſidet & labiis Suada benigna tuis.
Sponte tuâ vitiis es liber ab omnibus, æquum
Sponte tuâ primus iuſque piumque colis;
Qui tria regna dedit, mores regnis dedit aptos,
Nec fieri melior qualibet arte potes.
Accenſa haud augent ſplendentem lumina Solem,
Atque ignis maior non fit ab arte calor.
Relligione nites, virtutes quæ creat omnes
Agnoſciſque tui dona benigna Dei.

Te ſpeculum iuvat hoc, hæc te delectat imago,
Pallas vt in ſpeculo dum videt ora ſuo.
In ſummâ virtus non tempore clarior vllo,
Humanis ſeſe vultibus exhibuit.

ANDREAS SYLVIVS, P.P.

Ad Magnum, Magnæ Britanniæ Regem, priſcorum Scotorum, montana Scotiæ colentium, humillima *Supplicatio.*

ADventus, Rex Magne, Tui, nos fama nivoſis
Mõtibus huc alacres nemorumq; excivit ab vmbris:
Non Equitum turmas gemmis aurove nitentes,
Lumina non aulæ comptos nitidoſque miniſtros,
Quæque animos fallunt fugitivâ luce miſellos,
Nos ſpectare juvat, levium miracula rerum:
Te Patriæ Patrem petimus, te poſcimus, vnum
Suſpicimus, pronis veneramur vultibus vnum,
Te facilem cunctis, nobis in vota benignum
Speramus, ſacriſque tuis advoluimur aris.
Ergo tui populi, Rex clementiſſime Regum
Suppliciis adſis, miſeriſque accurre querelis.
Iam decies quinos complevit ſignifer annos,
Pura Caledoniis ex quo lux illa ſalutis
Affulſit, lætumque diem, Solemque reduxit,

Errorum

Errorum tenebris & cæcâ nocte ſepultis.
Illa vbi diffundit vivacis lumina veri
Inſtruit officiis animos, Regiſque, Deique
Fingit ad obſequium patefacto tramite recti:
Moribus informat: tætrâ rubigine ſeptas
Defæcat mentes, redditque ad honeſta ſequaces.
At fera Barbaries infauſto ſidere natos
Nos premit interea miſeros, vicinaque Goſan
Vndique dum lucet, nos denſâ condimur vmbrâ
Niliacæ noctis, cæci per ſaxa per vndas
Qua vagus error agit ferimur, rapimurque, nec vllus
Qui moueat, doceat, retrahatve è limine lethi,
Sancta ſalutiferæ pandens compendia vitæ.
Ora hominum gerimus, rectoque in ſidera vultus;
Cætera ſed Bruti, vaſtis in montibus orti;
Connatique feris, pecuinis moribus alti,
Numinis expertes ſacri, ne nomine *CHRISTVM*
Novimus, aut ſacris vllis aſſueſcimus aris:
Faunorum ſatyrûmque fero fera numina ritu
Proſequimur, cæci, diriſque illudimur vmbris.
His prendit laqueis, his detinet ille malignus
Spiritus implicitos, ad quævis crimina pronos
Præcipitans, falſas fœdant perjuria linguas:
Polluit & dextras cognato ſanguine cædes:
Parta latrociniis, furtis, variiſque rapinis,
Victum ſuppeditant, impuro corpora nexu
Miſcentur rupto genialis fœdere lecti
Sic regno indecores, manifeſti numinis hoſtes,
Civibus infeſti, turpiſque infamia gentis
Chriſtigenæ, miſeri miſerabile ducimus ævum.
Hiſce malis poterit res, O Rex, vna mederi
Religio veneranda, feras miteſcere ſenſim

Quæ doceat mentes, puriſque aſſueſcere ſacris:
Hæc noſtris medicina malis, hanc montibus infer,
Auſpiciiſque tuis Regum, Rex optime tandem
Inveniat ſtabilem divini fœderis arca
Monticolas inter manſuram in ſæcula ſedem:
Vt quæ Barbarico gens ſolverat ora ſolæco,
Verba dehinc diſcat Cananæâ reddere lingua:
Rauciſonoſque modos deformis tibia ponat.
Davidicæ cedens modulanti carmina Muſe:
Quique prius diri ſtudiis aſſueta gradivi
Pectora geſtabant, tranquillæ munia pacis
Dein colere incipiant almæ pietatis alumni.
Hinc tibi ſurget honos, hinc ſceptri gloria major,
Marte ferox fuſcos quam ſi penetraris ad Indos:
His ſtudiis David, Ioſias, lumina Regum
Tranſmiſere ſuas æterna in ſæcula laudes:
Hoc tibi reſtat opus, ſceptri molimine dignum,
Vt quacunque tui tepido patet orbis ab auſtro
Imperium gelidæ vergens ad littora Thules,
Auſpice te paſſim venerabile nomen *IESV*
Perſonet, ac patrem dominum rerumque parentem
Gens ſubjecta tibi concordi concinat ore.
Sic tu qui fœlix triplici diademate fulges,
Poſt fata accipies ſuper aurea ſidera quartum.

GVLIELMVS ARESKINVS.

IN

IN ADVENTVM SERENISSIMI Augustissimique IACOBI *Magni, Magnæ Britanniæ,* Franciæ, & Hyberniæ Monarchæ,

Τὸ καιρόν τε τυμβίων.

ALme Pater Patriæ, decus orbis, Maxime Regum
Rex Fergusiadum, proavorum gloria, seræ
Posteritatis honos, rediviva repullulat vnde
Aurea vernantis mundi juvenilior ætas,
Vnde Caledoniæ revirescit gloria silvæ,
Antiquumque redit decus, O pulcherrima radix,
Exere pampineas (nullo prohibente) corollas,
Purpureis tumidas uvis, gravibusque racemis,
Per quascunque alto Sol cernit ab æthere terras:
Surculus vt vester, modo qui jam germinat, olim
Expandat ramos toto super orbe potentes,
Pertæsisque jugum grave gentibus ille tyrannûm
Deliciis vmbras, alimento præbeat uvas.
At tibi Magne Pater Patriæ, quæ tanta tenellis
Pectora succendit tua flamma coæva medullis,
Deliciis loca parta tuis, vbi aquatica baccis
Purpureis, lotus cauto imposuisset Ulysséi,
Linquere Thessalicis potiora Britannica Tempe,

Saxonidum placidi peramæna roſaria campi,
Gramineos ſaltus, chryſtallina flumina, vivis
Fructiferas valles interlabentia lymphis,
Iridis & varios imitantia prata colores,
Albioniſque latus, gemmis albentis apricum,
Commutare vmbris patriæ viridantis opacis,
Non huc te, Rex Magne, egit levis aura cerebri,
Concita palponis pellaci folle bilinguis,
Nauſea Brutiadum nulla, inconſtantia nulla,
Impulit in patrios tandem remeare penates,
Conſilii ſed amica gravis vis lenta, ſereni
Sæpius accenſo cerebri fornace recocta,
Purior vnde auro fluxit ſententia puro,
Mennoniis avide quod raptat Iberus ab Indis:
Scilicet vt teneræ prima incunabula vitæ,
Germina quodque tuæ viridantis verna iuventæ,
Æſtivaſque ævi matureſcentis ariſtas,
Alterius meſſi fovit, prænobile regnum,
Regnum invictum armis, purâ pietate refulgens,
Sceptrigerûm numero toto ſuper orbe triumphans,
Per te perfecto, (cum ſis ſeptenus ab iſtis
Centum & ſex proavis) ſolium regale reviſas:
Allexit natale ſolum dulcedine, pectus
Dulce tuum mirâ, ſed quis miretur amorem,
Cui Scytha crudelis, Lybicus cui Maurus, & omnis
Flatus cui aërius ſemel imbuit ora popellus,
Devovet audaces vitæ cum munere dextras,
Innatus tantum mortalia pectora, charæ
Cogit amor patriæ, ratione potentior omni.
Squameus vt nitidis ſecat ardua flumina pinnis,
Salmo, petens primæ nativa cubilia vitæ,
Fila ſib. prætenta nihil maculoſa moratus,

Dum ſecum tremulis ludens laſciviat vndis.
Sic Salomon natale ſolum, tot longa viarum
Tædia, tot denſos imbres ſudoris, & æſtus,
Crebraque Principibus prætenta pericula ſanctis,
Aſpernate, vides vbi primum lactea gemma,
Roſcida diffugiens per eburnea colla labella,
Pectus ſacrum aluit, virtutum nobile centrum,
Huc innatus amor, natale reviſere regnum,
Pellexit, qnantum potuit, ſed cauſa laborum
Major adhuc ſupereſt, & principe dignior anſa,
Nam patriæ tibi cura tuæ, te charior ipſo,
Debita canenti negat otia grata ſenectæ,
Civica ceu Albionis poſcant te vulnera læſæ,
Ceu ſacris multum ſudaveris in repetundis,
Hiſce malis tua ſola poteſt Panacæa mederi;
Non ope Phyllyridis, nec acutâ Pæonis arte
Tradita, ſed ſceptro quo nos regis omnia ſanes.
Denique ſi qua tuam palpent evanida mentem
Gaudia, habet cunctis quibus aut ſe conferat oris,
Præferat aut multis tua Scotia, gens ea ſola eſt,
Quæ bis dena ſuos numerans per ſæcula faſtos,
Externi non vlla trucis juga paſſa tyranni,
Eminet invicto diademate: Danicus ardor
Saxone devicto, ſpoliis & Marte ſuperbus,
Oſſa ſuæ linquens poſt ſe hic monumenta ruinæ,
Oſſa Oſſam paritura novam modo lecta coirent,
Subſtitit, in tenues & tandem evanuit auras.
Danica quid memorem, nonne hic tua bellica virtus,
Præcipites, O Roma gradus, cohibere coacta eſt,
Et contenta tui firmis confinia regni
Mœnibus, (inſuetum tibi) circumcincta tueri.
Hæc tibi de pleno deërat gens ſola triumpho,

Sola jugum non paſſa tuum, te ſub juga trudet
Roma, ſecurigerûm proles Mavortia Scotûm,
Marmoreos montes, nitidis ſplendentia gemmis
Flumina, frugiferas placide lambentia valles,
Et juga tot flavis auri radiantia venis,
Quæque metalliferis ſunt tinnula ſaxa ſalebris,
Et vitreas variis fluitantes piſcibus vndas,
Vmbriferoſque ſilens ſaltus, ſtabula alta ferarum
Prætereo, & quæcunque beant communia gentes
Commoda, coniunxit propriis hæc Scotia donis.
Non eſt nubigeras cur iactet turgida Memphis
Pyramidas, ſtolido miracula facta popello,
Hic natura dedit, viva & maiora potentis
Virtutis ſpecula, & miracula vera, ſupremi
Summum opus artificis, tremulas ſtillantia guttas
Ceu ſaxa aſpicias, guttas modo ſaxa futuras,
Frigida quæ parit, & miranda caverna Ratrami:
Sive lacum mirere, cui ſine verbere pinnæ,
Squamea laſcivis colludens mira choræis
Turba, reluctatur canentibus & ſine vento
Fluctibus, & vitreas remeantia tecta per vndas
Inſequitur, vaga nam mediis natat inſula ſtagnis,
Quæ quo fluctus agit, tumidi ſine folle coortus
Hippotadis fertur, ſed pleno è gurgite guttam
Exhauſiſſe ſat eſt, magis vnde ſuperbiat alma
Patria habet, Muſis reliquo toto orbe fugatis,
Hoſpitium quod ſola ſacram miſerata ruinam
Præbuit, & lucem tenebroſo reddidit orbi
Vnde parem doctis iactet ſe Scotia Athenis.
Nam minor haud virtus quam querere parta tueri.
Præterea tera hæc Mavortia pectora nutrit,
Palladiis inſtructa animis, tua Marte, vel Arte

Iussa, brevis vitæ nil pendula fila morantes,
Ut faciant, promptos bellorum robora Scotos.
Quantumcunque cluens proprio fulgore, fatiscit
Terra Caledoniæ jam, te radiante tenebris,
Nam radiis faculas obscuras Phœbe minores,
Iamque nihil nostro, nisi lux tua fulget olympo,
Lux vereor præsaga mali, crassisque tenebris
Involvenda iterum, pluvios cum noster in austros
Phœbus eas, vtinam quo nunc comitante recedis,
Accedas patrios reduci cum Sole penates:
Sed quis jura feret superis, nunc quo placet ergo
Suave status cor abi,* lachrymis gemituque sequemur,
Crebra Panomphæo fundentes vota Tonanti.

Αλλο.

Ἦμαι ὄλε ὐδὲν γλυκίρον διδάκω
Ἀξίω Μέσαι μέλι, τολμοίμιν
Ταῦτα νὺς ψύχις Βασιλιυ τωτῆνις
Δώρα σαρέσθαι:
Οὐδέντι καλῶς, ὄτι νῦν μιρίμνιω
Ουδαμῶς τίκῆσι μιγάλω κρίνοντι,
Ψώλυτις δορῶν ατὰρ ἢ δαίρτ☉
Ψυχροθύμια,
Ἦ'ρ μὲν ἀγνωστιν μυσίω κακίαν,
Ἐ'υ δίκαν φωτῶν, δυτάμιν, ἢ' στολμιν,
Μηδαμὼς ἴσαν χτωμέν☉, σφρισιτιν
Δώρων ἀδώρον:
Καὶ σμίκρον δώρον, μιλὲς ὀτῖι δυσκῆ
Τῦ τὶ αξίσον, χίρας ὡς σφραγίδια
Ειμιγὲς δαλῦ, βασίλιν κρατίσῳ
Χαῖρι λιχνίτ☉,
Χαῖρι σκιπτῆχῦ κλέ☉ ἐν ανδάσιν,
Τιμὰ τῦ κόσμι, σαλβίδ☉ τὸ ξύλον
Τῶν ἱρῶν φωτῶν ιχθὺς σφρῖρι τὸ
Μάνα Θυῖδι,

IOANNES CORNWALLVS, S.S.T.S.

ACADEMIÆ ANDREANÆ CONGRATVLATVR.

HUc ô delitiæ, facetiæque,
Huc ô blanditiæque, & illecebræ
Et blandæ Veneres, Cupidineſque,
Et decens lepor, & placens venuſtas,
Huc vos, ô Charites adeſte trinæ,
Et dulces choreæ lubentiarum:
Et quicquid gravibus ſubinde curis
Merſos, triſtitiæ exuis procellis.
Vobis gaudia, candidos ſuſurros,
Et plauſus ſimul, & jocos paramus,
Et munus levium cachinnulorum.

Non nos turbida vota, nec fovemus
Spem fallacem animo metu refertam,
Non nos ſomnia, ceu leves amantes
Præ deſiderii æſtuantis aurâ,
Nobis fingimus. En dies cupita,
En votis modo tot petitus heros,
Cuî Thaüs Thameſiſque paret vni,
Et glebæ vbere ſat beata, Iërne,

Et ſparſæ

Et ſparſæ Orcades, Hebridesque ponto,
Advolvunt famulas decenter vndas:
Affulſit propior. Valete curæ,
Fletus, triſtitiæque, lachrymæque,
Planctus, mœſtitiæ, doli, dolores,
Et ſuſpiria prodromi dolorum,
Et quicquid Deus arbiter Bárathri
Emittit Phlegetonticis tenebris.

O qui magne parens regis quod vſquam eſt,
Terras, æquora, ſyderumque curſus,
Hunc fac Saxonius diem, Scotiſque,
Fœlicem, placidum, bonum, benignum:
Noſtrûm hujus meminiſſe da minores,
Vt quum poſtera venerit propago,
Hanc lucem niveo notet lapillo.

At vos, ô celebres, ad aſtra Athenæ
Ferte hunc perpetuis diem Camœnis,
Diem quo neque ſæcla lapſa majus
Videre, innumerabiles per annos,
Nec ævi ſubitura poſt propago
Cernet fors aliquid magis ſtupendum.
Quid jactet Babylon? quid alta Roma?
Quid Sparta? aut mage nobiles Athenæ?
Quid Carthago potens? ſatiſque fœlix
Uno pignore Pella quid triumphet?
Si rarum Dominos, duceſque mundo
Multo ſanguine, triſtibus ruinis
Claros, ſi ingenio arduo ſuperbos
Dedere Aonidûm pios alumnos,
Quid ultra eſt? Sed io, io Athenæ

Io dicite ter quaterque Pæan:
Vobis nam licet esse plus beatis,
Queis magnis datur heic diis fruisci.

O quicquid reliquum & Deûm & Dearum,
Quid vsquam supereſt beatitatis?

IOANNES LEOCHÆVS.

E F N F S.

